

Q. D. B. V.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA

De

INSTRUMENTO MORALI,

Quam

PRÆSIDE

M. JOHAN. FRANCISCO  
SCOBUDDEO,

Anclam. Pomeran.

*Eruditorum Examine*


*submittit*

M. CAROLUS ERSMAN /

O Gothia.- Svecus.

*Ad d. XX. Febr. M. DC. LXXXIX.*

H. L. Q. C.



WITTEBERGÆ,

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

*HT.*

a. .XV. 18.

ll. diss. A  
, 18

INSTITUT FÜR ANATOMIE

INSTITUT FÜR ANATOMIE  
TO

FRANKE

M. JOHANN ERNST  
200



M. CAROLUS

M. CAROLUS

1788



§. I.

**M**nis de instrumento, ut vo-  
cant, morali commentatio posita dua-  
bus in rebus est. Nam & de natura condi-  
tioneque tum instrumenti, tum causæ mora-  
lis, cuius quasi sobolem progeniemq; illud  
faciunt, agendum est: & insuper illud o-  
stendendum, quam pugnancia loquantur, su-  
isque se involvant implicentque tenebris qui jungunt, quæ secer-  
nere ratio jubet. Fieri equidem haud raro potest, ut rectè quis-  
piam sentiat, etsi non commodè efferre aut peritè eloqui sciat,  
quod animo concepit: Sed & consideratè loqui, & mandare lite-  
ris, quæ confundant mentem, & seipsa mutuo evertant, id tantum  
abest ut Philosopho dignum, ut potius hominis sit intemperan-  
ter abutentis & ocio & literis. Nihilosecius multorum animis  
hæc infedit opinio, licere omnibus fingere ac excogitare quic-  
quam, quo & illustraturos se, & facilius reddituros sapientiæ studi-  
um confidunt. Quo ipso sæpius contingit, ut nimium sibi indul-  
gentes, si talia fuerint prolocuti, quæ nec rebus conveniunt, & à  
consueto receptoque dicendi abhorrent modo, idem potius ce-  
mnibus obtrusum cupiant, quam revocare verbum sententiamq;  
retractare. Constat id vel ex præsentis argumento, quod dum in  
disceptationem iterum voco, eò minus id vitio mihi datum iri ar-  
bitror, quod in ipsa Græcia Philosophiam tanto in precio nunquam  
futuram fuisse Tullius testetur, nisi doctorum contentionibus con-  
troversisqve viguisset.

§. II. Quid vero instrumentum sit, aut qua ratione principa-  
lem causam respiciat, ab eademque distingvatur, magna o-  
mnino est dissensio. Sunt enim qui causam principalem vocant,  
quæ proximè & per propriam virtutem influit in effectum, seu in  
formam constituentem effectum: unde causa instrumentalis illa

est, quæ sua actione non attingit immediatè effectum, sed aliquid prævium, ex quo talis forma resultat quàm proximè & in se instrumentum non efficit. Quo sensu Capreolus sacramenta appellat instrumenta gratiæ, eo quod non ipsam gratiam, sed aliquid ad eam prævium causentur. Idque ex eo haud obscurum esse censent, quod concursus instrumenti semper sit imperfectus, & ideo ad ipsum non pertineat, ut immediatè attingat inductionem ejus formæ, ad quam est ordinatum, sed saltem ut efficiendo ad illam præparet. vid. Philippus à SS. Trinitate in primâ 2. Sum. Phil. Quæst. I. In quo certè falluntur. Nec rationem video, cur instrumentali causæ immediatus in formam à principali intentam, influxus denegari queat. Nam ut alia taceam, phantasma per modum instrumenti se habere ad productionem speciei intelligibilis, communis & recepta est opinio. Non tamèn aliquid prævium, sed immediate ipsam speciem in se attingit. Et unde evincet Capreolus, Sacramenta non attingere immediatè gratiam? Accedit, quod etsi instrumentalis concursus sit inferioris rationis: tamen quia instrumentum non per se tantùm influit, sed ut adjutum & confortatum à principali agente, ideo nulla est repugnantia, quod instrumentum immediatè in effectum principalis agentis, vim suam exerat. Hunc in finem duplicem actionem causæ instrumentali assignare solent: aliam quidem, quæ agit aliquid proprium, in quo non completè exercet officium instrumenti, aliam proprie instrumentalem, quæ immediatè influit in effectum principalis. Quæ actiones seu realiter distinctæ sint ut Cajetano placet 1. p. q. 45. art. 5. sive solâ ratione distingvantur ut Scotus innuit in 4. d. 1. q. 1. perinde mihi est: id certe ex eo conficitur, nihil obstare, quo minus immediatus influxus instrumento tribuatur.

§. III. In contrariam prorsus partem abeunt, qui quando simul concurrunt causa principalis & instrumentalis, magis immediatè influere in effectum causam instrumentalem asserunt, quàm causam principalem. Attingit etenim instrumentum effectum suum immediatione suppositi, cum principale agens non agat nisi per instrumentum: immediatione autem virtutis magis immediatè causa principalis agit, quia instrumentum non nisi in virtute ejus causalitatem exercet. Hoc verò ex definitione Thomæ fluit l. 2. contingent.

gent. c. 21. quando instrumentum medium esse ait inter causam principalem & effectum, ita ut efficacia principalis agentis perveniat ad effectum media motione instrumenti. Quæ etsi haud adeo ineptè dicantur, quo minus tamen formale causæ instrumentalis constituent, multa obstant. Nam sive motus vel mutatio intelligatur realis, recepta in ipso instrumento & prævia ad actionem ejus, multa dantur instrumenta, quæ talem motum minimè admittunt, sicut ex calore ignis, & vitali, & potentia nutritiva constat: sive motus ab alio vel alteri subordinatus, ne tum quidem res salva erit. Est quippe iste motus non proprius instrumento strictè sumpto, prout à principali causa distinguitur, quin potius communis omni inferiori principio agendi, omniqve causæ præter primam. Omnes enim causas secundas motas à causa prima agere constat, nec tamen ideo sunt instrumenta, sed causæ in suo genere principales vid. Svarez. Disp. 17. Met. Sect. 2. n. 10.

§. IV. Erat equidem Platoniorum hæc sententia, causas secundas proprie & simpliciter causas non esse, sed saltem instrumenta causæ primæ dici posse ut refert Simplicius in lib. 2. Phys. Aristot. text. 29. Marsilius Ficinus lib. 2. de immortal. animorum cap. II. Bessarion lib. 6. contra Calumniat. Platonis cap. 2 & veteri Academiæ hac in parte suffragatur Damascenus in Philos. c. 9. vid. Conimbricenses in lib. 2. Phys. Aristotel. Qv. 12. Nitiurqve illud assertum lubrico admodum fundamento, res creatas nihil operari, sed DEum ad præsentiam illarum omnia efficere: tribui autem rebus creatis actionem istam propter apparentiam & quia Deus veluti fœdus pepigit, non efficere tales effectus, nisi ad talium rerum præsentiam. Tenet hanc opinionem Averroës 9. Metaphys. com. 7. & lib. 12. com. 18. Albertus 2. Phys. tract. 2. c. 3. Petrus Aliacensis in 4. d. I. art. I. quem tamen excusat Svarezius Disput. XVIII. sect. I. n. 1. Manifesto hunc errorem propugnat Gabriel in 4. sentent. dist. 1. & 3. ubi concedit equidem res creatas dici causas efficientes posse, sine quibus lege ordinaria Deus statuerit non agere quicquam in rebus naturalibus, nisi ad earum præsentiam: at causarum tamen verè efficientium nomen non mereri. Nec multum abeunt, qui solis spiritibus vim agendi ac per modum causæ quicquam producendi vendicant, corporibus omni-

bus ab hac potentia exclusis, ut Avicennam docere lib. 9. Metaph. c. 4. Thomas testatur. Sed quam præter omnem rationem hæc dicantur, vel ex eo liquet, quod omnis causarum operationumque tollatur distinctio, nulla præterea rite procedat demonstratio à posteriore, si productionem effectorum veram propriamque rebus creatis adimamus. Quorsum dispositiones illæ, organaque & actiones causarum secundarum essent comparatæ, si statuarum instar saltem adessent, ad ipsam verò productionem rei nihil conferrent? Concurrere Deum ad earundem actionem haud inficiamur, sed ita ut ipsæ propriam agendi retineant virtutem, qua sufficienti operatione producere effectum queant; quam ipse Deus rebus creatis indidit, ceu principia activa & passiva generationum & motuum naturalium, ut magno consensu docent Scholastici. Bonaventura in 1. dist. 45. qv. 2. & in 2. dist. 37. q. 1. Gregorius Arim. in 2. dist. 35. qv. 1. art. 1. Albertus M. in dist. 35. art. 7. Alensis 1. part. qvæst. 9. membr. 2. Hervæus tractat. de æternitate mundi qv. 1. ut nunc Durandum, Ægidium, Capreolum ceterosque taceam. Sed per illum concursum nec actio, nec libertas agendi illis eripitur. Multo minus causæ secundæ in agendo ita dependent instrumentorum instar à causâ primâ, ut producere quicquam illis integrum haud sit, nisi à causâ primâ tanquam principali eleventur. Quare instrumenta vocare illas nequeunt, nisi loquendi usui aliquis vim inferat, idque omne instrumentum appellet, quod quacunqve ratione ab alia causâ dependet, quo pacto Trismegistum mundum hunc universum DEI appellasse instrumentum accepimus vid. Fonseca lib. 2. Met. c. 2. & Rodericus ab Arriaga Disp. II. Phys. sect. 1.

**S. V.** Cæterum producere causam instrumentalem effectum se longè nobiliorem, sive ultra mensuram propriæ actionis & perfectionis, nonnulli ita asserunt, ut hoc ipso in esse instrumenti eam constitui arbitrentur. Et ita quidem principalis est, quæ per virtutem principalem sive nobiliorem vel saltem æquæ nobilem cum effectu influit in actionem, per quam talis effectus producirur. Quo pacto & primam & secundam, æquivocam pariter ac univocam sub nomine & ratione causæ principalis comprehendunt. Cum itaque ea conditione causa instrumentalis per virtutem infe-  
rio-

rioris rationis in effectum influat, operari eam conveniens est virtute principalis agentis, licet & virtute quadam intrinseca gaudeat ad suam actionem instrumentalem, sive innata illa sit, sive superaddita, sive alio quocumque modo se habeat vid. præter Svarerium l. c. Scotus n. 4. d. n. q. 1. & Mendoza disput. 9. phys. sect. 12. n. 19. Verum sicut propriam quandam vim operandi à virtute causæ principalis distinctam eandemque ad effectum producendum proportionatam, non inviti instrumentali causæ tribuimus: ita contra instrumentum, in & per virtutem principalis agere, haud satis commodè dici existimamus. Et prius quidem ex eo liquet, quod instrumentum sit causa efficiens, adeoque propria agendi potentia non destituatur, quæ frustra esset, si non exerere eam, atque in actum deducere posset. Sequeretur & illud, si propria ad agendum vi destitueretur instrumentum, quod ad quemlibet effectum quodlibet adhiberi posset instrumentum. Quod secus esse ratio docet. Neque in aut per virtutem principalis agit, quia vis illa causæ principalis, per quam instrumentum agere dicitur, vel eadem esset cum illa agendi vi, quæ in causa principali reperitur, vel distincta & ab agente principali ipsimet instrumento communicata. Non illud, quia unam eandemque in diversis suppositis esse virtutem, implicat: nec hoc, quia instrumentum jam illam virtutem prius habet, quàm ab agente principali elevetur vid. Fonseca lib. 2. Met. - c. 2. Concedit equidem Mendoza agere instrumentum per propriam virtutem, at improportionatam eam esse ait. Ineptè sanè. Si enim nulla daretur proportio inter virtutem agendi in instrumento & inter effectum, tum instrumentum non posset revera ad effectum producendum influere, imò nihil prohiberet, quo minus ad alium quemcumque improportionatum effectum, idem instrumentum adhiberi possit. Quæ omnia quàm temerè hæc asserantur, satis ostendunt.

§. VI. Reliquorum nunc de causa instrumentali referre sententias piget, cum & jejunæ satis sint nec multum doctrinæ habeant. Neq; id instituti ratio permittit. Quid nobis tandem instrumenti nomine veniat, ut exponamus, ordo postulat. Et primo quidem inter causas suam quoque instrumentum obtinere locum dubium non est. Quamquam me non fugiat, esse qui illud inficientur.

Sed

Sed causæ naturam vix rectè capiunt, dum principium eam vocant per se derivans esse in aliud, ut Scaliger ~~ca.~~ definivit Exercit. 197. Qvis non videt, nimis angustis terminis causam sic includi ejusq; latitudinem minimè exhaustiri à definitione. At verò obstat, nullum instrumentum movere nisi moveatur ab alio. Ita Thomas docet lib. 2. cont. gent. c. 21. nunquàm adhiberi instrumentum ad causandum aliquid, nisi per vim motus, nam de ratione instrumenti est, quod sit movens motum. Jam quicquid non movet nisi moveatur ab alio, id principii notionem vix sustinere potest. Ita verò se instrumentum habet. Principii itaqve vel causæ nomen non mereri concludit Franciscus de Sylvestris in Thomæ l. c. Sed fallitur. Si quis exactius rem istam consideret, tanti non esse & Thomæ & Ferrariensis rationes, ut instrumentum ex causarum numero excludant, facilè animadvertet. Equidem causam primam in esse suo per id constitui, ut aliud principium movens non admittat, libens agnosco. Sed ad quælibet causarum genera illud extendere, longè est absurdissimum. Hinc Philoponus doctissimus Aristotelis interpres, non equidem ex causarum numero instrumentum eximit in lib. 2. Phys. Arist. text. 27. at non ad efficientem, verum ad materialem illud refert. Æquè male ac si exemisset. Qvis unquàm adeò omnis cognitionis expertus fuit, ut illud materiam vel causam materialem vocaret quod intrinsicam rei constitutionem non ingreditur. Instrumentum verò ingreditur nunquam. Quin de causalitate causæ efficientis præcisè spectatæ non minus participat ac ipsa causa principalis vid. Svarzeius disp. 12. Metaph. sect. 3. n. 16. Conimbric. lib. 2. Phys. c. 7. Qv. 2. art. 3. Arriaga Disput. Phys. sect. 4. Nec Aristotelis nunc moramur definitionem, quam lib. 2. Phys. c. 3. & 5. alibiq; proponit, causam efficientem vocans primum principium mutationis & quietis. Rejicere eam eodem jure licet, quibus ab Aristotele discedere religio non est, quo opponitur. Etsi non desint, qui conciliare eandem contendunt vid. Fonseca in lib. 1. Metaph. Arist. c. 7. q. 1. sect. 5. & 5. Metaph. c. 2. q. 5. & 9. Majus fortassè dubium exinde oriri posset, quod instrumenta dentur, quibus actio non competit: per quam tamen causalitatem causæ efficientis constitui, in confesso est. Sed sufficit, si competat actu primo. Actu secundo omni instrumento actionem non semper convenire haud diffitemur. Nec id requiritur; vid. hac de re contra Soncinam

nam



nam & Javellum disputantes Conimbricenses in lib. 2. Phys. Arist.  
cap. 7. qv. 7. p. 330.

§. VII. Formale instrumenti in eo consistit, quòd propter insufficientiam virtutis à causa principali elevata, in esse causati influat, Proinde in eo quidem cum causa principali convenit, quod utraque verè realiterq; in esse causati influat, sed differt, tum quod virtus ejus insufficientis sit ad effectum producendum, ea quidem ratione, ut ipsam de se exercere & ad effectum producendum applicare nequeat, nisi ab agente principali per specialem quandam directionem juvetur, tum ut elevetur à principali per excitationem virtutis in instrumento latentis & proportionatæ ad illam actionem, ad quam elevatur, Et his propriam formalemque instrumenti rationem absolvi facilè evincitur, Cùm enim intrinsecam quandam virtutem instrumentum possideat, id certè quod ultra eam requiritur ut actu influat, formale instrumenti constituet. Sed verò præter deductionem virtutis instrumento insitæ in actum, ejusdemque ad effectum producendum applicationem ab agente principali præstandam, nihil omninò efficere potest, ut causalitatem suam exerat, Ergo in eo consistere formale instrumenti, nemo ambiget, qui curatius hæc secum perpendat. Nec etiã nominari aliud potest, quod causa principalis in instrumento circa effectus productionem præstet, quam ut virtutem ejus deducat in actum, eandemque ad effectum producendum applicet. Quæ actio causæ principalis numero eadem est, cum illa, qua ipsa influat in effectum. Est enim instrumentum causæ principali subordinatum. Quæ causæ autem sibi invicem sunt subordinatæ, illæ una eademque numero actione gaudent. Quin & unus saltem est effectus. Ergo actionem, quæ nihil aliud quam effectus est productio, unam eandemque numero esse oportet.

§. VIII, Antequàm tamen provehamur ulterius, & quid controversiæ status postulat, exponamus, causæ quoq; moralis injicienda est mentio, Eam enim in principalem & instrumentalem dispescere solent, quibuscum disceptamus: Et definire eam consueverunt, quod etsi quæ talis non influat realiter in effectum, ita tamen se gerat, ac si realiter influat, unde effectus, qui sequitur, non minus ei imputatur, ac si realiter influxisset. In quam causarum classem referunt, qui jubendo, hortando, non impediendo

B

aliis.

aliisq; modis effectum promovent. Ubi in eo haud dubio peccant, quod realem influxum causæ morali denegant. Influxum equidem physicum respuit: sed inde non tollitur realis. Pugnant hæc secum, causam esse & tamen non realiter influere. Nam unde dicitur causa nisi à tali influxu & operatione. Quod si caret hujusmodi influxu, ne causa quidem est appellanda. Moralis itaq; salutatur, non quod semper morale quid includat, quod laude & vituperio dignum sit; sed quia in prudentum more ac existimatione, perinde se habet ac si physicè influxisset. Magnum proinde discrimen inter utramque, physicam videlicet, & moralem causam intercedit. Nam ut modum agendi unicuique proprium ac peculiarem taceam, moralis exercere virtutem suam potest effectusq; juvare productionem, licet nondum existat, vel jam existere desierit, quod physica causa nunquam præstare poterit. Sicut hæc contra effectum suum immediatè attingit, & positis omnibus ad agendum requisitis, non potest non agere. Quod secus in morali est. Nunquam ea quatenus talis absq; interventu alterius causæ effectum producit, & sua insuper in agendo gaudet libertate. Tandem in eo discrepant, quod moralis non absq; concursu causæ physicæ influat, non etiam repugnet quo minus plures causæ morales, subordinatæ sibi invicem, eundem effectum producant, etsi quælibet ipsarum sufficienti instructa fuerit virtute ad idem efficiendum absq; aliarum ope. Ast physica nec moralis causæ semper indiget concursu, nec alias etiam, siquidem debita non destituatur virtute, ad eundem effectum producendum in consortium admittit. Ex quo causalitas ejus perspicitur. Quam alii ita efferre consueverunt, ut omnes causæ morales effectus moraliter bonos vel malos esse dicant, adeo ut & ipsa causa moralis talem bonitatem vel malitiam secum habeat conjunctam, nec ab eadem, actus ejus, quæ talis, sit liberatus. Tum & libertatem in agendo causæ morali vendicant, ea quidem conditione, ut physicæ causæ competat, quæ à morali movetur, si fortè moralis ipsa eadem careat, cum libertas, quæ in effectu conspicitur, non possit non eandem in sua causa prærequirere. Denique in eo absolvitur causa moralis, ut sempea agat in physicam quam movendo, impellendo, aliisq; actionibus tum physicis tum moralibus ad agendum excitat. vid. Morifanus Disp. Phys. III. Mendoza Disp. Phys.

Phyf. Sect. IX. n. 115. Fonseca ad II. Met. Qv. V. Sect. I. Svarezius  
Disp. Met. XVII. Sect. I. n. 6.

§. IX. Ad ipsam demum controversiam, ut accedamus, an instrumentum propriè & sensu Philosophico acceptum, morale dici queat, ea ratione qua causa moralis appellatur, quaeritur. Afferunt illud Viri quidam longe eruditissimi. Distingunt instrumentum in physicum & morale, & hoc ideo ita appellant, quod cum in se non habeat valorem, quo causam physicam movere posset, moveat tamen virtute à causa principali accepta. Quale instrumentum ministrum verbi divini esse ajunt, remittendo peccata & gratiam annunciando munere suo fungentem. Hanc enim cum cœlitus sibi commissam teneat potentiam, nullum in se habet valorem, quo morali operatione influere in effectum possit, sed supernaturali quadam vi, tanquam à causa principali, ad hoc efficiendum elevatur. Imo quemlibet hominem in exequendis alterius mandatis occupatum, hoc mereri nomen contendunt. vid. Stalius Reg. Phil. Part. 2. disp. 6. Reg. 7. n. 13. Slevogtus in Disputat. Academ. disp. 21. n. 15. Petrus Musæus institut. Met. c. 15. n. 12. aliique

§. X. Si verò accuratè utrumque expendatur, ipsa instrumenti & causæ moralis conditio hunc loquendi modum, non permittet. Quod priusquam rationibus evincam, quæ ad quaestionem rectè intelligendam faciunt afferam 1.) Non confundendam esse quamcunque causam mediam, cujus opera aliquis in peragendo negotio quodam utitur, cum causa instrumentali. Maximè hæc inter se differunt. Nam omnes causæ secundæ ac particulares, etsi in suo genere sint principales, respectu Dei tamen, ceu causæ primæ & universalis, qui iis mediantibus creaturas efficit, rectè dicuntur causæ mediæ; minimè tamen instrumenta, ut §. IV. ostensum. Et hinc causas secundas purè ministeriales, quatenus à Deo ad certos effectus spirituales producendos adhibentur, optimo jure vocari causæ mediæ possunt. Idque eo magis, quod una causa particularis, sed tamen certo respectu principalis, in ordine ad aliam causam particularem, à qua in agendo ad determinatum effectum dirigitur, ut ministri respectu magistratus, servi respectu Dominorum, causæ mediæ communiter audiant: Nemo tamen instrumenta vocaverit, cum & sufficienti instructæ sint virtute, & si

vel maximè alterius directione non fuerint adiutæ, eundem tamen  
 edere effectum potuissent. Igitur omne quidem instrumentum  
 esse medium vel causam mediam exinde infero ; sed non  
 vice versa, omne medium vel causam mediam vocari posse instru-  
 mentum. Et ut alia præteream, ex ipso Aristotele haud difficul-  
 ter illud colligitur. Docet quippe Philosophus lib. I. post. analit.  
 cap. VI. quatuor esse causas, quæ scientiam destruant. Prima si pe-  
 reat res scita. Secunda, si ipse, qui sciebat, intereat. Tertia si sci-  
 ens obliviscatur conclusionis. Quarta, si obliviscatur mediæ. Me-  
 dium verò illud sive causa media, quæ mediante scientia acquiritur,  
 sunt præmissæ. Neutiquam verò præmissas causam instrumenta-  
 lem seu instrumentum vocari posse exinde colligo, quòd pereun-  
 tibus præmissis ceu causis mediis ipsa etiam destruatür conclusio  
 tanquam causatum. Id verò de instrumento non procedit, cum  
 effectus per instrumentum productus nihilominus remaneat, et si  
 maximè instrumentum perdatur. Frustra itaque Aristoteles à de-  
 structione præmissarum ad scientiæ collegisset amissionem ; si in-  
 strumentum & medium unum idemque existimasset vid. quæ ad h. l.  
 Thomas, Albertus, Lichetus, & Conimbricenses disputant. 2) Quan-  
 quam non diffiteamur inter instrumentum & causam instrumenta-  
 lem nonnunquam ex usu loquendi discrimen aliquod intercedere,  
 ita ut per instrumentum saltem medium aliquod denotetur: vel et-  
 iam, ut causa instrumentalis audiatur, quæ actu elevatur ad influen-  
 dum, instrumentum verò, quod, si elevetur, idem efficere potest,  
 non attendendo an agat, an verò quiescat: re ipsa tamen inter se con-  
 veniunt & una eademque definitione gaudent. In præsentibus itaque  
 controversia eo modo instrumentum sumitur, ut cum causa instru-  
 mentali pari passu iambulet 3) Neque verò negamus illa agentia,  
 quæ instrumenta moralia appellantur, esse veras causas efficientes  
 participant sane de causalitate causæ efficientis, sive cum Svarezio  
 disp. 28. Met. Sect. 10. num. 5. Conimbricensibus in lib. 2. Phys.  
 Aristot. c. 7. Qu. VII. aliisque eandem in actione; sive cum Hervæo  
 quodlib. 2. qu. 2. Javello r. Met. qu. 4. in influxu in esse causati, sive  
 denique cum cæteris in actuali effectus productione constituiamus  
 4) Nec inusitatam, impropriam & inadæquatam instrumenti ac-  
 ceptionem nunc attendimus. Quia concedimus dari instrumenta

mo-

moralia, si instrumenti nomine id omne veniat, quod quacunque ratione ad effectus productionem aliquid confert. Sæpissime id usu venit, ut à nativa sua significatione ita vox instrumenti recedat. At verò in hac disceptatione exquisitè sumitur. Eodem scopulo impingunt, qui instrumentum in passivum & activum discernunt. Passivum illud quidem vocant, quod ita inservit causæ principali ut ipsum in causando effectu nihil cooperetur. Activum contra, quod unà cum principali causa influit & operatur. Quo pacto incudem instrumentum appellant passivum, quod etsi nihil operetur ad productionem effecti, patièdo tamen ad eundem concurrat. Quod si dicas vel ideo instrumentum dicendum non esse, quod non agit, in quo causalitas ejus absolvitur, resistantiam illam inquirunt, quæ actionem principalis promovet esse quandam reactionem adeoque vicem causalitatis causæ efficientis supplere; Mendoza ulterius progreditur & omnia instrumenta artis, etsi proprie dicta instrumenta sint, non tamen quicquam agere, sed merè se habere passive asserit Disp. 9. Phys. sect. 12. §. 114. p. 359. idemque statuit Scotus lib. 4. sent. dist. 1. quæst. 5. Arriaga in eo quidem cum eis convenit, quod actionem instrumentis artis abjudicat, sed ex instrumentorum numero excludenda censet. De quo nunc non disputo. Id saltem ex eo conficio naturam instrumenti propriamque definitionem non attendi. Etenim instrumentum passivum æquivocè saltem tale dici, vel ex eo patet, quod non indigeat elevatione alterius causæ. Est enim per se sufficiens ad resistendum. Multominus aliud principium elevans agnoscit. Taceo quod nullo pacto ipsi actio competat, sed nuda saltem negatio ulterioris tendentiæ principii agentis, quicquid etiam de reactione fingant. Instrumenta vero artis quod attinet, cum & agendo effectum revera producant, & insuper insufficienti virtute, ut necesse sit ea elevari ab alio principio superiori, & de nomine & de definitione instrumenti, non minus participare, quam naturalia, manifestum est.

§. XI. Quæ cum ita se habeant, nullum dari instrumentum morale, ut evincamus rationibus, restat; Idque ita exequar ut primum instrumenti, deinceps causæ moralis indolem repugnare prorsus, quo minus id affirmari queat, ostendam (1.) Quicquid suf-

B 3

ficiens

ficienti, pollet virtute ad effectum producendum, id non potest vocari propriè instrumentum. Atqui instrumentum morale, &c. Ergo. Major ex definitione instrumenti patet. Minor ex inductione. Nam servus quem illi instrumentum morale appellant, sufficienti omnino est instructus virtute ad omnia opera servilia, eademque edere potest, etsi vel maximè Dominus mandato suo ad eundem effectum producendum non concurrat. Nec aliter in reliquis est comparatum. (2.) Quicquid in operibus suis præstandis alio instrumento utitur, vel saltem uti potest, id non est instrumentum. Atqui instrumentum morale, &c. Ergo. Major denuo ex definitione & requisitis instrumenti est manifesta. Minor est in confesso. Quis neget servum non posse uti aliis instrumentis? Quod si Thomæ nunc assumamus assertum, quod omne instrumentum moveatur ab alio & etiam immediatione suppositi influat ex eo colligimus (3.) Quicquid movet, etsi non moveatur ab alio, id non est instrumentum. Atqui instrumentum morale, &c. Ergo. Major ex hypothese Thomæ constat. Minor quia instrumenta quæ illi moralia vocant, absque ulla prævia motione effectum producant. (4.) Quicquid non attingit effectum immediatione suppositi, id non est instrumentum. Atqui instrumentum morale, &c. Ergo. Major ex superius disputatis. Minor ex eo, quia sæpius utuntur aliis instrumentis.

§. XII. Ex requisitis verò & definitione causæ moralis & quidem ex propria ipsarum hypothese, quæ tamen falsa est, nullam causam moralem realiter influere in effectum ita arguo: (1.) Quodcumque realiter influat in effectum id non est causa moralis. Atqui instrumentum realiter influat in effectum. Ergo Nullum instrumentum est causa moralis. Major est ex concessis. Minor ex inductione constat, nam instrumentum non tantum realiter, sed & physicè effectum attingit. Hinc (2.) Quicquid physicè attingit effectum, illud non est causa moralis, Atqui omne instrumentum physicè attingit effectum. Ergo nullum instrumentum est causa moralis. Major ex definitione causæ moralis; minor ex definitione instrumenti liquet. (3.) Quæcumque causa in influendo ita se habet, ut illi more & consuetudine sapientum non tribuatur effectus, illa non est moralis, Atqui instrumentum, &c. Ergo. Major ex defini-  
tio-


tione moralis. Minor ex natura instrumenti: Nunquam gladio imputatur homicidium. Nisi Atheniensium ridiculam quis imitetur consuetudinem, quos Pausanias in Atticis p. 46. memorat, etiam res inanimatas traxisse in iudicium. Cujus rei hoc documentum affert, quod cum Erechtheo Athenis regnante, bovem Sacerdos, qui Buphonus est appellatus ad Poliei Jovis aram mactasset, statimque relicta bipenni è finibus excessisset, bipennis in iudicium vocata, accusata tandemque absoluta sit; quod postea institutum quotannis servarunt. Quod si verò imputetur quibusdam instrumentis, hoc ideo fit, quia physicè influxerunt. (4.) Omnis causa moralis utitur causis intermediis ad effectum producendum. Nullum verò instrumentum utitur causis intermediis Ergo Nullum instrumentum est causa moralis. Major ex natura causæ moralis liquet, quæ in eo consistit, ut mediante alia quadam causa physica operetur. Minor quia de ratione instrumenti est, ut immediatè influat.

§. XIII. Cui nostræ sententiæ ne quicquam ampliùs obstare videatur, an creatura concurrere cum Deo ad aliquid creandum per modum instrumenti moralis queat? expediendum. Thomas siquidem parte 1. Summ. Theolog. qv. 45. art. 5. nullam creaturam posse instrumentum esse creationis, docuerat. Unde Scoto lib. 4. sect. 12. n. 114. omnibusque Scotistis vapulat. Sed immeritò. Cum enim in omni instrumento virtus proportionata ad effectum producendum requiratur, quæ deinceps in actum deducatur à principali: nulla verò inter finitam virtutem & productionem ex nihilo sit proportio, sequitur non posse creaturam esse instrumentum creationis. Cujus asserti, ut constet veritas, virtutem creandi ita esse comparatam supponimus, ut soli potentiæ infinitæ competat, quæ communis contra Gabrielem Biel in B. 2. Dist. 1. qv. 4. art. 3. & Durandum in 2. d. n. 7. 4. Doctorum Scholasticorum est sententia vid. Lombardus in 4. d. 5. & Thomas 1. p. 4. 45. art. 5. omnesque Thomistæ, Scotus insuper in 4. d. 1. qv. 1. quem etiam sequitur Occam in 2. qv. 7. Henricus Quodl. 4. q. 37. Ægidius quodl. 5. qv. 1. Rationes prolixè recenset Svarezius Disp. Met. XX. sect. 2. n. 12. seqq. quas repetere hic nihil attinet. Quod si ita se res habet, inter potentiam finitam & creationem nullam dari proportionem manifestum est.

Nec

Nec quicquam obstat, quod vulgo ajunt, per elevationem illam im-  
proportionem tolli. Frustra hæc dicuntur. Si enim virtus instru-  
menti non proportionata est, antequam elevatio principalis agen-  
tis accedit, nihil prohibet, quo minùs mensâ secari lignum, &  
malleo scribi queat. Cur etiam hic illa improportio per agens  
principale non tollitur? Non video rationem disparitatis. Ex his  
reliqvæ duæ quæstiones (1.) an creaturæ possit esse instrumentum  
physicum creationis? (2.) an possint esse instrumentum morale  
creationis? facilè dijudicari possunt. Negatur utraqve. Prius qui-  
dem adeò impossibile esse Vasquezus part. 2. Summ. Theol. 2. Disp.  
176. docet, ut ne per absolutam quidem DEI potentiam fieri posse  
censeat, ut creatura aliquid per modum instrumenti physici pro-  
ducere possit. vid. etiam Gvilielm. Estius in 2. sent. d. 1. n. 4. & Pe-  
rerius lib. 1. Phys. c. 6. Quod dum & nos asserimus, non ita existi-  
mandum, ac si negemus posse creaturam simpliciter ad creationem  
concurrere! concurrere utiq; possunt, sed non per modum instru-  
menti. Nam humanam Christi naturam creare aliquid & ex nihi-  
lo producere posse, nemo sanæ mentis negaverit. Instrumentum  
tamen, quo divinitas ad creandum utatur vocare nullo pacto au-  
sim; quæ ratio loqvendi Thomæ, licet falsò, tribuitur. Idem de re-  
liquis creaturis ad actus supernaturales adhibitis judicium est feren-  
dum. Quando verò nunc ex Prophetis & Apostolis resuscitanti-  
bus mortuos, aliosqve supernaturales effectus edentibus, instru-  
menta moralia faciunt, & exinde concludunt, Ergo potest crea-  
tura esse instrumentum morale creationis; oppidò falluntur. Nam  
primo præsupponunt, dari instrumenta moralia, id quod negatur.  
Deinde nihil minùs fuerunt, quàm instrumenta, quin potius cau-  
sæ in suo genere principales, licet concursu quodam DEI ex-  
traordinario inagendo fuerint adjuti. Reliqua nunc fun-  
damento destructo, sua sponte corruent.

TANTUM.



Coll. diss. A. 15, misc. 18